Bericht

über das

Gymnasium Petrinum zu Brilon

während

seines vierzigsten Schuljahres 1897—1898,

erstattet von dem

Direktor

Prof. Dr. Th. Niggemeyer.

Voraus geht eine Abhandlung des wissenschaftlichen Hülfslehrers Johannes Fischer: „De Taciti in componenda Agricolae vita consilio."

Progr.-Nr. 365.

Brilon 1898.
M. Friedländers Buchdruckerei.

De Taciti in componenda Agricolae vita consilio.

Liber, quem Tacitum de vita et moribus Cn. Julii Agricolae paucis mensibus post quam Trajanus summa rerum potitus est, composuisse constat, quo consilio conditus esset, iterum atque saepius a viris doctis quaesitum est neque quidquam certi inter eos convenit. Nam tantum abest, ut scriptoris ipsius verbis, qui soceri vitam posteris se traditurum esse indicat, fidem habuerint, ut alii aliud causis plerumque altius petitis Tacitus secutus esse sit visus. Paucis inquirere mihi propositum est in sententias gravissimas, quo quae maxime probanda sit, cognoscatur. Hac in re tractanda priorum opiniones, ut quibus nulla jam sit auctoritas, satis habebo, obiter, ut ita dicam, attigisse.

Qui ante aetatem nostram investigarunt, quo consilio ductus Tacitus libellum conscripsisset, eorum vel plurimi nihil aliud egisse scriptorem arbitrati sunt, quam ut vitam et res gestas soceri posteris narraret. Atque tanta diligentia Tacitus multis usus esse videbatur, ut eorum librorum antiquitate scriptorum, qui vitam viri alicujus praeclari continerent, perfectissimum hunc esse existimarent. In eorum virorum numero, qui hanc proposuerunt sententiam, dicendi nobis sunt: Bernhardyus[1]), Bährus[2]), praeter ceteros autem Taciti libellum ut omnibus numeris absolutum defendit Walchius[3]), qui tantum tribuit libro honorem, ut ad eum reliquos libros vitarum descriptiones continentes referendos esse censeret ex eoque leges, quae temporibus antiquissimis in virorum clarorum vitis narrandis valerent, collegerit. Parva quae repperit libri vitia, excusari putat aut Romanorum ingenio, qui omnia omittant, quae ad rem publicam non pertineant, aut Taciti consuetudine dicendi, qui multa quamvis memoratu digna silentio praeterire aut breviter attingere soleat. At aequo pluris vir doctus librum aestimasse putandus est. Neque vero defuerunt, qui vitae auctorem peccasse culparent, quod alia vitae momenta omnino silentio transiisset, alia non ea, qua deberet, ubertate descripsisset. Hoc de libro judicium tulit K. L. de Woltmannus[4]). Concedendum ei est, scriptorem multa majore ubertate depingere potuisse, praesertim quae ad Agricolae indolem vitamque spectant domesticam, sed moris Tacitei non fuisse videtur, talia accuratissime describere neque omnibus postulatis satisfacere potuit. Nimis laudasse socerum Tacitus visus est Arztio[5]) Mohrio[6]), Hoffmeistero[7]). Hi igitur viri docti res a socero praeclare gestas a genero nimiis laudibus elatas neque sincera fide narratas esse putant; at monendum est, eos, qui vitam viri alicujus

---

[1]) Röm. Littgesch. 734.
[2]) Röm. Littgesch. 218
[3]) praefatio.
[4]) Versionis vol. VI 34—45.
[5]) In versione.
[6]) Bemerkungen zu u. über Tac. Agr. Meiningen 1823.
[7]) Weltanschauungen des Tac. Essen 1831.

praeclari posteris tradituri sunt, virtutes quam maxime laudare, vitia aut excusare aut negligere. Hanc consuetudinem in re ipsa positam etiam nunc animadvertere licet neque hanc ob rem de laudatione funebri nobis cum Mohrio cogitandum est. Ut Walchius summum libro dandum esse honorem statuit, quo perfectius cogitari nequiret quidquam, ita invicem exstitit, qui vitiis undique magna cura collectis librum mundis atque erroribus scatere diceret, quam ob rem fieri non potuit, quin Tacitum, rerum gestarum scriptorem diligentissimum, libelli auctorem esse negaret. Quamquam Heldius — is enim in commentatione „de Cn. Julii Agricolae vita, quae vulgo Cornelio Tacito adsignatur“ hanc sententiam protulit — ubi de stilo agit haud pauca e Taciti scribendi consuetudine dicta esse concedit. Nimis severi judicis partes Heldius suscepit opinionemque ejus bene refutasse videtur Karolus Halmius[1]), ut longa disputatione supersedere possim, praesertim cum neminem virorum doctorum nunc ab Heldio stare putem. Sommerbrodtius solus, quos sciam, Heldio assensus est.[2])

Quoniam eorum virorum, qui ante memoriam nostram de libelli indole disputaverunt, sententias leviter attigimus, quid hujus aetatis viri docti de libro senserint et de consilio, quod Tacitus in componenda soceri vita secutus sit, dicendum mihi videtur esse. Atque primus quidem post viros supra memoratos Hübnerus de hac quaestione uberius disseruit.[3]) Hübnerus ex causis, quas affert quasque ex iis, quae contra disputata sunt, cognoscas, colligit, Tacitum quum e more Romanorum socerum laudationis funebris honore afficere in ipso funere impeditus esset, Romam quattuor annis post Agricolae obitum reversum orationem in libri formam redegisse redactamque edidisse. Facile Hübnero concedes, Tacitum, si Romae affuisset, socerum mortuum oratione funebri laudaturum fuisse, sicut antea Verginium laudaverat; fieri etiam potuisse credimus, ut occasione data Tacitus orationem in libri formam redactam ederet, attamen hoc Taciti libro laudationem funebrem exstare, minime nobis Hübnerus probavit, recteque Urlichsius sententiam ejus impugnasse[4]) mihi videtur. Docet autem vir doctus, qui huic Taciti libro magnam impertivit operam, prooemium nullum orationis vestigium exhibere, quum per totum prooemium priorum vitarum scriptorum felicem condicionem ipsorumque temporum felicitatem cum sua ipsius aetate conferat vehementissime invehens in Domitiani imperii saevitias. Neque injuria Urlichsius causam reperiri non posse existimat, cur Tacitus veniam petat, laudationem funebrem si librum esse velit secundum morem Romanorum. Accedit quod, ut Jaegerus[5]) recte monet, Tacitus facere non potuit, quin in primo libro profiteretur, laudes hominis compluribus annis ante mortui se prosecuturum esse simulque causas afferret, cur tum tandem officio pietatis satisfaceret. Deinde Urlichsius in Hübneri sententia refellenda narrationem ipsam, etsi in primis extremisque capitibus laudationis brevitatem prae se ferat, tamen pluribus argumentis historico potius quam oratorio generi persimilem esse demonstrat. Nam sententias breves proferri, quarum exempli causa duas afferam: cap. IX: haud semper errat fama; cap. XLIV: proprium humani ingenii est odisse, quem laeseris“; dubitationes fidei, quae ad historicam, non ad oratoriam artem spectant inveniri, sicut legimus in capite XXXIX: sive verum istud, sive ea ingenio principis fictum ac compositum est; in capite XLI: satis constat; in capite XLIII: nobis nihil comperti,

---

1) Heidelb. Jahresber. 1846, 580.
2) Neue Jenaische Litt.-Zeitung 1846.
3) In Hermae tom. I, 438.
4) Commentatio de Agricolae vita et honoribus. Wirceburgi 1868.
5) Diss. inaug. Hildesiae 1874, 55.

quod firmare ausim. Tum excursus scriptor injecit et quae ante dicta sunt, in memoriam revocat, nam in capite XVIII invenimus scriptum: a cuius possessione revocatum Paulinum rebellione totius Britanniae supra memoravi"; a re proposita decedit totum caput XXVIII. Gravissimum autem argumentum, ex quo cognoscere possumus, Taciti libellum ad historicum genus referendum esse, in eo positum est, quod vitae auctor cum aliorum rerum scriptorum, tum Sallustii dicendi genus videtur secutus esse. Urlichsius magnum locorum exhibet numerum, qui „manifestam Sallustii produnt imitationem", eorumque copia a Teuffelio aucta[1]) est. Neque Sallustium solum sed etiam alios rerum gestarum scriptores, quod ad dicendi genus attinet, Tacitum imitatum esse Eussnerus docet.[2]) Idem magnam esse similitudinem in orationibus disponendis Sallustii cum iis, quas in Agricolae vita invenimus, ostendit neque prooemia, quae Sallustius operibus suis praemisit, dissimilia esse libelli nostri exordio docet. Sed, ut ad Urlichsii commentationem redeam, porro contra Hübnerum, qui temporis accuratam significationem desiderat, recte monet, quando quaeque gesta essent, imperatorum nominibus additis satis dilucide esse distinctum. Summam denique artem, qua Tacitus usus sit, deleri vir doctissimus arbitratur, si Calgaci et Agricolae orationes Hübnerum secuti ejiciamus; summo enim cum gaudio generum in re a socero praeclarissime gesta accuratius enarranda versari et narrationem subsistere quasi et immorari in culmine gloriae. Ut vero Tacitus vitae descriptioni epilogum oratorum sane rationem secutus adjungeret, adduci potuit orationibus Sallustianis; nam Sallustium et ipsum allocutione, ut est in libello nostro, non abstinuisse commonet nos Urlichsius duoque exempla, ex quibus perspicere possimus, affert. Epilogo addito Hübneri sententiam nihil fulciri Güthlingius, qui Urlichsii opinionem corroborare studet,[3]) sequi censet Homeri consuetudine, qui cum paulo fuit commotior praeter poetarum epicorum usum secunda persona uti solet. Id re vera Güthlingius mirandum esse arbitratur, si nihil oratorii operis simile esset in libro, qui tot annis in foro causisque consumptis fuerit primus gradus historiae scribendae. Urlichsius priusquam Agricolae vitam honoresque narrationem Taciti presse secutus describere aggreditur, eatenus tantum Hübnero assentiendum esse putat, ut vita laudationi substituta et epilogus orationis in modum additus esse videatur. Haec Urlichsii conjectura firmatur animadversione Liebertii dicentis[4]) auctorem in unaquaque libri parte non tam aequalium, quam posterorum memoriam injicere, qua ex re optimo jure colligere possumus, librum ad genus historicum pertinere. Summo studio, ut jam dixi, Güthlingius l. l. Urlichsii opinionem defendit, aliorum sententias argumentis meo quidem judicio haud spernendis impugnat. Ac primum argumenta, quae Urlichsius contra Hübnerum attulit, suo Marte auget. Postquam fieri non potuisse ostendit, quin totius libri forma orationisque color a ceteris id genus libris discreparet, quoniam scriptor et pietati et fidei historicae satisfacere deberet, Hübneri sententiae reluctatur, qui Tacitum sui purgandi causa Aruleni Rustici et Herennii Senecionis laudationes memorasse contendit. Nam et Suetonii verbis, qui in Domitiani vitae narratione laudes Rusticum edidisse prodit, et Plinii Senecionem de vita Helvidii libros composuisse memorantis[5]) demonstrari utrumque virum libros, quo verbo Tacitus ipse quoque in capite altero utitur, condidisse, quos laudes eorum, quorum vitae

---

1) Sallust u. Tacitus. Progr. Tübingen.
2) In ephem. gymnas. Bavar. vol. XIII pg. 156.
3) In progr. gymnas. Liegnitzii 1878. (11—16).
4) De doctrina Taciti. Wirceburgi 1868.
5) Epist. VIII, 19, 3.

narrabantur, continere potuisse non infitiatur. Recte deinde Güthlingius contra Hübnerum, cui totus liber ad rhetorum leges atque praecepta potius, quam rerum scriptorum accommodatus videtur esse, mirandum admodum fore dicit, si Tacitus, qui causis orandis per plurimos annos antea operam navaverat, ubi primum ad novum scribendi genus accesserit, omnem oratoris artem deposuerit. Eadem causa et quod Tacitus vitam hominis summa necessitate secum conjuncti posteris tradens commotiore sit animo, effectum esse Güthlingius existimat, ut oratio fusior atque copiosior fieret, quam quae in ceteris Taciti libris historicis occurrat. Argumentis, quae hi viri attulerunt, Hübneri sententia refutata esse mihi videtur, neque aliis Hübneri opinionem placuisse id documento est, quod nemo ei est assensus. Et ipsum hujus sententiae auctorem dubitasse postea de veritate ejus, ex ea re cognosci potest, quod loco quodam annotat,[1]) fieri non posse, ut judicium omnibus viris doctis probatum de Taciti Agricolae indole ferat quisquam. Monendum est, ante Hübnerum idem tulisse judicium jam Döderleinium hisce verbis in praefatione[2]) usum: Ac primum omnium Agricolae vitam volgavit soceri. Eam scripturam laudationis vice fungi voluit, quoniam viri illustrissimi exequiae quadriennio ante defuncti eo honore caruerant ob generi absentiam. Quoniam Hübneri opinionem futtilem esse docuimus, venimus nunc ad eorum virorum sententias explicandas, qui arbitrati sunt, Tacitum ideo vitam soceri composuisse, ut doceret, quae in magistratu gerendo vitae ratio sub saevis crudelibusque praesertim principibus esset optima et maxime probanda. Atque primus quidem, cujus de opinione disseramus, dignus est Gantrellius, qui in ephemeride Gallica lingua conscripta[3]) sententiam suam de libelli consilio in medio proposuit. Gantrelli omniumque, qui post eum idem fere de libro judicaverunt, sententia inde profecta est, quod Tacitus soceri in vita degenda rationem nimiis laudibus exornare videtur, quum, quae a laude sint aliena, omnino silentio praetereat aut leviter tantum velut in transcursu tetigerit. Atque cum Tacitum eam potissimum ob causam socerum mortuum laudare intellexissent, quod ratio ejus, quam in re publica administranda secutus est, mediam inter pervicacem adversus imperantes contumaciam et servile obsequium viam tenuisset, id egisse Tacitum in libro componendo opinati sunt, ut soceri rationem optimam esse in re gerenda aequalibus fidem faceret. Neque vero solum ad socerum laudandum librum destinatum fuisse a scriptore, sed cum et ipse Agricolae rationem suam fecisset, sibi simul laudem atque excusationem struxisse Tacitum. Haec quae attuli, in omnium virorum sententiis redeunt, qui hanc esse libelli Tacitei indolem statuerunt; ea quae cuique propria sunt, suo loco exhibebo. Gantrellius, qui, ut dixi, primus talem de libelli indole opinionem proposuit, laudationi potius quam vitae enarrationi librum inservire putat eique nomen tribuit éloge historique. Liceat mihi, ipsius verba, quibus editioni praefatur, afferre: Ce qu'on est convenu, inquit, d'appeler la Vie d'Agricola n'est pas à proprement parler une biographie, c'est une laus, laudatio, un éloge, ou, pour parler plus exactement encore, un éloge historique. Quae sententia quum medium quasi teneat inter ea, quae Hübnerus quaeque Urlichsius proposuerunt, bene firmata viro docto videtur, quod totum belli argumentum formaque orationi concinna optime in eam conveniant. Nam: Le style est approprié à la nature de l'écrit Il a une couleur oratoire très prononcée. Pietate autem sola quum Tacitus Gantrellii conjectura adduci non potuerit,

---

[1]) In Herm. tomo XVI, 542.
[2]) pg. VI.
[3]) Revue de l'instruction publique en Belgique 1870.

ut soceri facta moresque multis annis intermissis post Agricolam mortuum describeret, ad rem publicam ita librum pertinere censet, ut scriptor suam ipsius rationem, quam a socero accepit, laudando excuset. Le vainqueur de la Bretagne, inquit Gantrellius,[1]) est un modèle pour tous les hommes politiques, parce qu'il a toujours été aussi éloigné d'une servilité degradante (deforme obsequium) que de l'opposition systématique (abruptam contumaciam) des républicains. Le passage (locum dicit illum capitis XLII) cité plus haut est, à nos yeux, comme le résumé d'une profession de foi politique. Inesse primo obtutu in hoc viri docti judicio, cur ei assentiamur, facile concedes, et probavit eam vir de Taciti doctrina optime meritus, Draegerum[2]) dico. Adversariorum partes susceperunt Andresenius et Eussnerus, qui falso judicasse Gantrellium existimant compluribus causis allatis. Quae Andresenius protulit[3]) non magni habeo momenti neque mentione digna sunt; at gravissima sunt, quae Eussnerus contra disputavit.[4]) Primum Eussnerus eorum argumenta, qui Taciti librum ad rhetorum praecepta compositum esse ducunt, redarguit causisque ab Urlichsio prolatis, de quibus supra diximus, alias addidit. Firmari Urlichsii sententiam recte vir doctus conjecit exemplo Velleji Paterculi, qui et ipse extremo libro historico perorationem pro Tiberii salute factam adjunxit; accedit, quod Tacitus in fine libelli propinquos tantum adhortatur, ut ad Agricolae exemplum vitam instituant, neque, ut in oratione, etsi ficta, solet, ad coronam circumfusam verba facit. Praeterea, ne orationem sublimiorum mireris, Eussnerus quoque de necessitate monet, quae inter scriptorem et eum intercedit, cujus vita narratur, et Tacitum usque ad id tempus in causis perorandis versatum esse. Ad historicum autem genus librum pertinere etiam inde sequitur, quod Tacitus in prooemio talium virorum, qui suam ipsi vitam tradiderunt, ad comparationem mentionem injicit aliosque ampliores libros historicos se confecturum esse pronuntiat. Quod vero nimis socerum laudare videatur, morem vitam praeclari alicujus viri describentium Tacitum observasse dicit, neque laudationem ab historia abhorrere Ciceronem, Ammianum, Quintilianum testes affert, qui historiam ad laudativum genus retulerunt. Quae Gantrellius[5]) Eussnero respondit, eis mihi non persuasit, sententiam suam esse probandam. Verba, quae saepissime scripta invenimus,: vitam alicujus tradere" et similia item ad laudationem in historia versantem convenire posse atque ad vitae narrationem historicam non negaverim; aptius tamen mihi verba ipsa contemplanti hoc significare videntur, et quid est, cur in vita historiae ratione enarranda locum laudandi esse infitiemur? Ab aequalibus quin Tacitus veniam petat, nemo fere est, qui dubitet, at vitam se traditurum esse posteris — nam monumentum aere perennius, ut Horatii illud afferre liceat, socero erigere ei est in animo — bis profitetur. Neque recte sensisse Gantrellium dixerim existimantem, usu frequentissimo dictionum Sallustii aliorumque rerum gestarum scriptorum colligi non posse, sententiam Urlichsii et Eussneri laudandam esse; nam non solum verba quaedam dictionesque satis habuit noster ex aliorum scriptorum libris hausisse, sed etiam totum ordinem argumenti ad Sallustii praesertim opera accomodavit. Quae si quis adhuc vera esse diffidat delego eum ad Urlichsii commentationem,[6]) ubi quanta sit similitudo inter libellum nostrum et minores

---

[1]) praefatio pg. 15.
[2]) In ephem. litt. Jenensi 1876, 250.
[3]) Ann. soc. phil. Berolinensis 1877.
[4]) Ephem. gymn. Bavaricorum XIII, 145.
[5]) Nov. ann. philol. 115, pg. 777.
[6]) De vita et honoribus Taciti. Wirceburgi 1879, 22.

Sallustii libros, quod ad ordinem rerum narratarum attinet, cognoscat. Haud ita longe distare praefationem Agricolae praefixam ab exordiis majorum Taciti operum jam supra notavi neque bene Gantrellius hoc ita esse negat. Quod Vellejus Paterculus narrationi finitae epilogum commotiorem annexuit, Gantrellio artis historicae fines videtur egressus esse. At certe Tacitus ejus exemplum imitari potuit. Peterus ad hanc sententiam rejiciendam mentionem facit[1]) Plinii aequalis, qui cum in eadem condicione esset, qua Tacitus, tamen tantum afuit, ut rationem suam excusandam censeret, ut magna cum audacia adversus adversarios accusatoris personam ageret.[2]) Gantrellii sententiam haud ita longe ab eorum recedere, qui ad historicum genus librum referunt, elucet; at eo potissimum consilio Tacitum ad componendum librum commotum esse, ut soceri rationem, quam in re gerenda secutus erat, laudando suam ipsius defenderet, nullo modo mihi persuadebitur.

Idem judicium, quod Gantrellius, de libelli indole tulit Hoffmannus,[3]) qui auctorem vituperat, quod quaecumque in vita soceri enarranda a laude aliena fuerint, aut omiserit aut excusaverit. Exemplum afferam, quo offenditur. Quum alias, inquit, quam maxime viros segnitiae deditos carpserit,[4]) Agricolam, qui in praetura aliisque magistratibus gerendis inertiae nimis indulsit, defendere ut sapientem studet. Neque dubitari posse Hoffmannus putat, quin Agricola in Domitiani consuetudinem atque familiaritatem se insinuaverit; Tacito enim de hac re fidem nullam esse habendam, quippe qui de industria de Domitiani ingenio moribusque inique prodiderit. Eum autem ad finem gener vera mutavit Hoffmanni opinione, ut socerum, qui ob Domitiani amicitiam ab libertatis tum demum restitutae amantibus magnis opprobriis peteretur, laude potius dignum esse aequales doceret. Neque vero soceri tantum, sed etiam sui ipsius purgandi causa Tacitus librum de vita Agricolae scripsisse dicitur. Nam cum eandem quam socer in re gerenda viam cepisset, et aequalium, quorum in odia incurrisset, et Trajani imperatoris, a quo negligi contemnique se opinaretur, favorem sibi reconciliare studuisse eum. Contra Hoffmannum Andresenius probari non posse dicit,[5]) Tacitum, cujus fidem ab ipso promissam in dubium vocare non liceat, de vero consilio, quod in vita enarranda sequeretur, legentus decepisse et suo jure socerum magnis cumulasse laudibus, quod summis difficultatibus superatis magnam pro temporum iniquitate gloriam sibi peperisset.

Eodem, quo Hoffmanni, redit Stahrii sententia de libelli indole prolata in libro de Tiberii imperio conscripto. Vir doctus miratur, quod Tacitus obscuro loco natus summis in re publica honoribus functus est. Id praeter Romanorum consuetudinem tali in tempore factum esse considerantibus nobis dubium esse non posse Stahrii est sententia, quin Tacito ea tantum ratione contigerit, quod magna apud imperatorem gratia valeret. Neque sub Domitiano, a quo dignitatem suam longius provectam esse profitetur, fortem se atque audacem Tacitum praestitisse, Stahrius eo colligit, quod in capite libelli nostri XLV ipse se auctor incusare videatur nimii obsequii atque silentii. Qua re quum fieri non potuerit, quin ab omnibus, qui libertatis amore flagrarent, quam maxime despiceretur, Tacitum vitam soceri descripsisse gratiam sibi recuperaturum. Stahrius ipse quoque pro explorato habet, scriptorem, sicut in annalibus et historiis etiam consueverit, quae de Domitiani in socerum iniquo animo

---

[1]) In annotatione ad cap. I.
[2]) Epp. IX, 13.
[3]) In ephem. gymn. Austriae. 21, 249.
[4]) cf. Ann. XIV, 51.
[5]) Ephem. rei gymn. Berolini 1871, 811—20.

tradidit, aut vana finxisse aut consulto sic narrasse, ut legentes falsum de Domitiano judicium conciperent. Omnem igitur fidem ab auctore esse abjudicandam. Hanc Stahrii sententiam de Taciti malignitate probavit[1]) Delboeufius, qui vitam soceri a Tacito traditam esse arbitratur, ut politicam suam, ut ita dicam, fidem profiteretur et rationem defenderet.

Quae a tribus his viris, quorum sententias exposui, allata sunt, ea quasi in unum congesta apparent in Jaegeri dissertatione,[2]) qua de fide, quae Tacito in Agricola habenda sit, deque consilio agitur, quo liber ille conscriptus videatur esse. Qui quum nihil novi ad sententiam corroborandam protulerit, satis habebo, totius dissertationis summam repetisse. Hisce verbis ea, quae exposita sunt, complectitur: „Tacitus statim post consulatum exactum et Nervam mortuum eo consilio Agricolam composuit, primum quidem, ut Agricolae modestiam atque obsequium laudando rationem, qua ille in vita publica degenda usus erat, defenderet, deinde vero, id quod maximum est, ut se ipsum de via et ratione, quam in rebus publicis secutus erat, excusaret eorumque, qui in civitate tum validissimi erant, gratiam sibi conciliaret.“ Consilio aliquo politico libellum conscriptum esse etiam Schillerus, qui de imperatorum Romanorum imperio librum composuit, sibi persuasit. Asbachius Tacitum vitam soceri ideo narrantem facit,[3]) quod auctor a Trajano jussus erat, eos, qui in Domitiani amicos summa cum saevitia illum vindicaturum esse sperarent, de ingenuo atque miti imperatoris animo docere. Haec sententia omni verisimilitudinis specie caret. Quoniam eorum virorum judicia, qui Tacitum soceri vita narranda consilium aliquod politicum secutum esse demonstrare studuerunt, perlustravimus, nunc nobis dicenda esse videntur, quae contra disputata sunt.

Quam accuratissime Hirzelius virorum laudatorum sententiis reluctatur.[4]) Qui cum absurdum esse ostenderit ad tempora antiquissima nostras transferre factiones, quae certa sequuntur in re publica gerenda consilia, fieri non potuisse recte arbitratur, ut Tacitus partis ullius rationem atque consilia defenderet. Quod Tacitus in libelli nostri capite XLII, quid de re publica sentiat, narrationi inserit, e more suo fecit, nam etiam in majoribus libris historicis est, ubi judicium de re publica ferat. Nullo autem argumento comprobari posse Hirzelius efficit, Tacitum res a socero gestas justo majoribus laudibus exornasse; nam cum ea aliorum scriptorum opera, in quibus de Agricolae laude bellica ageretur, interierint, nullum testimonium viris doctis praesto est, quo persuadere nobis possint, Tacitum vera mutavisse. Eadem de causa porro colligi non licet, res ab Agricola gestas alios scriptores mentione dignas non duxisse, et quaerenti tibi, cur Suetonius quoque de Agricolae in rem Romanam meritis sileat, Hirzelius respondet, Suetonium etiam aliorum virorum quamvis clarorum facta praeteriisse. Et fac, librum ab aequalibus posterisque neglectum esse, idem atque libro de Germania composito ei acciderat, ut monet Urlichsius. At Plinii panegyricus libelli Tacitei speciem prae se fert, neque forte factum esse putabimus, ut totum genus vitam viri alicujus describendi libro Taciti edito resuscitatum magnopere coleretur. Viris illis, qui de consilio politico cogitaverunt, quamquam concedendum est, Tacitum pro reliqua vitae parte longius in rebus ab Agricola in Britannia praeclare gestis describendis versari, tamen ne obliviscaris, eo loco Tacito in culmine quasi rerum uberrimam dari laudandi materiam

---

1) Revue de l'instruction publique XXII, 309 et cf. ephem. rei gym. Berol. 1881, 235.
2) Hildesiae 1874.
3) Commentatio de Corn. Tacito. Bonnae 1885.
4) In progr. Tubingensi 1871.

remque ipsam ita tulisse, ut summo cum gaudio hanc vitae partem accuratissime depingeret. Junghansius causam, cur Tacitus nimis laudare videatur Agricolae facinora, ex annalium libri tertii capite LXV cognosci posse animadvertit,[1]) ubi scriptum legimus: Praecipuum munus annalium reor, ne virtutes sileantur." Neque cetera viros illos doctos Tacito recte exprobravisse Hirzelius ostendit. Ut alia transeam, dicam de opprobrio, quo Hoffmannus in Tacitum invectus est, quod excuset Agricolae quietem atque silentium tempora causatus, quibus inertia sit pro sapientia. Ii, qui quaestura et praetura, quibus in gerendis Agricola nullum facinus conspicuum ediderat, fungebantur, nihil aliud nisi aditum ad majora quaerebant, neque tantam magistratibus minoribus dignitatem fuisse sub principatu, quanta re publica libera Urlichsius recte statuere[2]) videtur. Similem in modum Plinius, Taciti aequalis, in magistratibus illis gerendis se gessit; nam ipsum quoque nihil memorabile exsecutum esse, Mommsenius[3]) auctor est. Omnibus denique locis, quibus Tacitus studio nescio quo narrare videtur illis viris, bene se habere descriptionem recte plerumque mea quidem opinione Hirzelius pervicit. Obsequium sane et modestiam soceri ubique magnis laudibus efferri largieris; hoc enim Taciti moribus respondet, qui etiam in maioribus operibus iis maxime favet viris, qui non famae nimis appetentes fuerunt. Quae de ultimis vitae annis Tacitus tradit et de ingenio Domitiani, cum alterius scriptoris testimonia desint, a scriptore nostro de industria ficta esse comprobari nequit; de rumoribus qui circumferebantur, et de servo ad Agricolam misso et de soceri exitu, etsi dubitavit auctor, tamen talem duxit Domitianum hominem, qui talia committeret. Nam imperatorem venenum dando non abstinuisse Dio Cassius refert.[4]) Atque virorum doctorum argumentum, quod ex capitibus III et XLIV extricant, Tacitum Trajani imperatoris animum propensum reddere sibi voluisse libro composito, vanum esse atque futtile facile est ad intelligendum. Nam cum hunc libellum paucis mensibus post, quam Trajanus imperium gerere coepit, conscriptum esse inter plurimos virorum doctorum convenerit, fieri potuisse quis putaverit, ut jam tum Tacitus neglectum se esse opinaretur? Accedit, quod Trajanus et Agricolae et Taciti virtutem expertus erat, cum et ipse a Domitiano summis honoribus ornatus eadem fortuna usus sit, qua illi. Quod Hoffmannus spe, quam de Germania provincia concepisset, Tacitum frustatum esse conjecit, causam ei non fuisse, cur curam aliquam consularem sibi Trajanum mandaturum esse speraret, Urlichsius bene monet.[5]) Nam Tacitus quum antea ne uni quidem legioni praefuisset itaque nullam rei militaris peritiam teneret, unde spem sumere potuit, imperatorem militiam expertum legationem consularem magnosque exercitus sibi traditurum esse? Urlichsius commentationem laudatam eo consilio confecit, ut doceret, Domitianum non semper Agricolae genero favisse, sed socero mortuo eum neglexisse. Quod propositum cum vir doctissimus vitam honoresque Taciti ex ordine explicans perfecisse videatur, eorum sententia, qui male audisse Tacitum sibi persuaserunt, quod nimis Domitiano acceptus gratusque fuisset, firmissimo privatur argumento. Nam Domitianus Agricolae genero ex provincia reverso munus praetorium non tribuit, quum Nerva integro anno intermisso consulatum ad eum detulerit. — Neque Trajanum iniquum Tacito animum gessisse, ex ea re cognoscitur, quod eum in causa Marii Prisci orantem laudibus cumulavit. Quod autem Ur-

---

[1]) In progr. Lüneburgensi 1872.
[2]) l. l. 14.
[3]) In Hermae tomo III, 88.
[4]) lib. 67, 4.
[5]) Comm. de vita Taciti pg. 18.

lichsius Trajanum Tacito familiariter usum esse conjecit, nihil certi ut in re admodum dubia firmare ausim. Repulsam Tacitum a Domitiano tulisse etiam Mommsenius l. l. judicat.

Hirzelius maxime et Urlichsius sententias eorum, qui ad rem publicam quodam modo librum retulerunt, infirmasse atque refellisse videntur. Hirzelius ipse suam sententiam de libelli indole proposuit. Nam veram justamque vitam contineri negavit eo libro, cujus duae partes non ad vitam depingendam, sed ad locorum situm naturamque describendam pertinerent, in quo de provincae rebus accurate ageretur, cui denique secundum eorum consuetudinem, qui historiam scripserunt, fictas auctor inseruisset orationes. Adversus haec Güthlingius citat[1]) verba Taciti quibus vitam se esse traditurum dicit. Britanniae provinciae res copiosissime tractanti scriptori etsi forte accidisse potest, ut altius repetens alieniora arriperet, tamen non plane abhorrere descriptionem a re proposita concedit, praesertim cum Sallustii exemplum secutus esse possit. Eiusdem scriptoris rationem Tacitus immitatus est additis orationibus Calgaci et Agricolae. Quare Teuffelii judicium probari posse Güthlingius censet statuentis,[2]) Tacitum Agricolae vitam composuisse sequentem rhetorum morem et praecepta.

In Hirzelii sententia nititur Andresenii judicium, quod de libelli indole in medio proposuit.[3]) Andresenius non firmo vinculo omnia cohaerere cum re proposita arbitratus ea, quae capitibus XVIII usque XXXVIII de Britannia traduntur non eodem tempore ab auctore scripta esse existimat, quo reliquae libri partes. Iam sub Domitiano Tacitum ea, quae a socero de Britanniae rebus accepisset, scribere incohasse eo consilio, ut postea historiis injungeret; adductum esse scriptorem ad hanc rem primam tractandam, sive quod domesticarum rerum taedio primum rem praeclare gestam describere eum juvaret, sive quod pietate duceretur. Jam coepisse Tacitum historiarum libros componere colligit Andresenius ex verbis, quae in fine capitis tertii legimus: Hic interim liber .... Quum vero post socerum mortuum vitam resque ab illo gestas memoriae tradere in animum induxisset, hanc partem historiarum absolutam vitae narrationi addidisse Tacitum ita, ut quae ad vitam domesticam pertinentia in hac operis parte scripta invenimus, antea afuisse staduendum sit. Ea quoque ex re Andresenio elucere videtur, non ab initio Britanniae descriptionem vitae narrationi Tacitum inserere voluisse, quod in hac parte non idem honor Agricolae tribuatur, qui in antecedenti et sequenti operis particulis. Eo autem consilio Tacitus Andresenii opinione librum condidit, ut et doceret, quam rationem secutus Agricola summam sibi parasset gloriam, et suam ipsius viam, quam in re publica tenturus esset, profiteretur.

Primus Andresenii judicium impugnat Güthlingius. Verba, quae in extremo capite tertio legimus: Nec pigebit ... Andresenius sic interpretatur, ut auctor historias a se scribi coeptas esse dicat; Güthlingius recte monet, nihil morari, quominus Tacitum dicentem faciamus, animo se concepisse historias componendas. Multo enim verisimilius esse Güthlingio assentior collectas esse res, quae ad domandam Britanniam pertinebant, a Tacito ut soceri res gestae illustrarentur, quam ut pars essent historiarum. Neque opus est verba: incondita et rudi voce" referri ad historias, quas primum esse opus historicum Taciti Andresenius conjicit. Auctor his verbis nihil nisi modeste profitetur in libro majoribus operibus praeeunti

---

[1]) l. l. 14.
[2]) Litt.-Gesch. pg. 774 (IV ed.)
[3]) In libro, quem praeceptores gymnasii Berol., quod cognomen fert: „Zum grauen Kloster" ad tricentesimum gymnasii diem natalem conscripserunt.

„historicam orationem omnibus numeris absolutam sibi non jam praesto esse.“ [1]) Nihil item ex verbis: hic interim liber ... concludi potest. Nam eam potius his verbis inesse vim facile largieris Güthlingio, ut Tacitus exprimat: donec ad historias scribendas accessero, quam quae Andresenius vult ab auctore proferri: donec perfecero. Ex eis, quae legimus in capite altero: memoriam ipsam .... nihil certi suspicari licet, utrum historiarum libros scribere coeperit Tacitus sub Domitiano, necne. His argumentis a Güthlingio prolatis Urlichsius unum idque gravissimum, ut videtur, addit docendo, res non ex dignitate a Tacito copiose narratas esse, sed prout quaeque cum soceri vita conjuncta esset. Ideo factum esse nobis putandum est, ut quae a Frontino contra fortissimos hostes praeclare gesta erant absente Agricola brevi laude perstringeret, cum Cerialis, cujus legatus Agricola fuerat, factorum semel mentionem fecisse satis non habuerit et in Paulini rebus narrandis longius moretur. Quod vero rerum memoria non arte cum soceri vita cohaerere videtur, morem tum historicorum fuisse, Urlichsius monet, haud ubique artis historicae legibus satis facere. Plures praeterea viri docti Andresenii argumenta infringere atque debilitare sunt conati. Primo loco exhibebo ea, quae a viro quodam ignoto (nomen littera h significavit) contra Andresenium disputata sunt. [2]) Recte ea de causa scriptorem longius evagari in rebus Britanniae describendis statuit, quod Britannia perdomita atque subacta et nimium quantum Agricola Romanis profuerit et sibi ipsi maximam gloriam paraverit. Neque haud ita paucos huic parti inesse locos docemur, qui si majori historiarum libro essent, sine dubio offenderent. Nonne extrema pars capitis XVIII et quae capitibus XIX, XX, XXII de boni ducis virtutibus praedicantur, aptiorem tibi locum habere videntur in vitae descriptione, quam in alio quo opere generis historici? Quae de rebus domesticis Andresenius postea addita esse censet, speciem additamenti non prae se ferunt; neque minorem honorem in hac parte Agricolae tribui, ut est Andresenii sententia, tibi potissimum capita inde a XXXV intuenti facile persuadebitur. Semper, sicut in capite XXXVIII: exercitum deducit; praecipit“ animo scriptoris obversatur talis, qui omnium rerum auctor sit. Ceterum etiam hic vir ignotus falso judicavit, Tacitum eam ob causam libellum composuisse, ut aequales, qui Agricolam ob nimium obsequium sub Domitiano significatum carperent, doceret, quanto Romanis Agricola usui fuisset. Ferri non posse istam quamvis ingeniosam conjecturam Andresenii etiam Eussnerus dilucide demonstravit. [3]) Similitudinem, quam Andresenius inter Agricolae capitisdecimi primum enuntiatum et quae in historiarum primi libri capite altero enumerantur, sic intercedere putat, ut sequentis descriptionis argumentum indicetur, nullam esse Eussnerus suo jure declarat. Saepius autem Tacitus de moribus Agricolae judicium tulit, quam ut huic parti in alio libro locum fuisse arbitrari possimus, nisi quo vita Agricolae continetur. Etiam inde, quod tempus praeter Taciti morem in amplioribus operibus observatum ad Agricolae imperium refertur, apparet, scripsisse Tacitum eam partem, qua de Britanniae rebus agitur, ut vitam soceri posteris tradens ea uteretur. Ad Eussneri sententiam accessit Schöllius, qui et ipse Andresenii conjecturam probari posse negat; [4]) item Löwnerus Andresenii opinionem rejecit, [5]) qui totius libelli argumentum explicans sibi persuasit, mediam partem bene in totum quadrare neque alio tempore compositam

[1]) Libertus l. l. 22.
[2]) Ephem. gymn. Austriae. 1875, 40.
[3]) Nov. ann. philol. 1875, 346—50.
[4]) In actis litt. Jenensibus 1874, 555.
[5]) Der literar. Charakter des Ag. von Tacitus. Eger 1884. Progr.

esse ac reliquas. Accuratius de rerum ab Agricola in Britannia gestarum narratione Tacitea egit[1]) Pauerus, qui omnia, quae Andresenio a vitae narratione prorsus aliena videntur, sicut fugam Usipiorum capite XXVIII traditam et orationes Calgaci et Agricolae, laudi soceri augendae esse haud inique persuadere nobis studet.

Haec dicere habeo de fluctuatione sententiarum, quae de libello Taciti Agricolae vitam continenti haud paucae prolatae sunt. Ii verissime judicasse mihi videntur, qui statuunt, justam soceri vitam scripturum fuisse Tacitum, qui quum res ab Agricola gestas nimiis laudibus exornasse videtur, eorum morem secutus est, qui vitam viri alicuius honesti tradunt. Neque haerere licet in oratione sublimiore; nam consideremus necesse est, quanta necessitate scriptor cum Agricola fuerit conjunctus; eumque tum primum ab oratoris arte ad historiam scribendam se convertisse nobis non obliviscendum est. Fuisse in civitate, qui Agricolae modestiam atque obsequium objurgarent, quamquam negari nequit, tamen eum ad finem a Tacito librum conscriptum esse, ut eorum favorem et socero et sibi ipsi conciliaret, verisimile non est. Neque librum commixtum ac satis male compositum esse duco. In Britanniae enim rebus describendis, ut par erat, accuratissime versatus est, quod a Britannia perdomita Agricola summam traxit laudem bellicam, quae quanta esset, eo magis perspici potuit, quocopiosius de difficultatibus actum erat superandis. Vitam quin composuerit Tacitus non est dubium, et plerique, ut mihi videntur, eorum, qui in hanc quaestionem inquisiverunt, in hanc iverunt sententiam, sicut, qui novissimi, quos sciam, de hac re disputaverunt, Büsseus[2]) et Dietrichsius.[3])

---

[1]) Göttingae 1881.
[2]) Progr. Hildesheim 1886.
[3]) Progr. Stralsund 1887.

Schulnachrichten.

I. Allgemeine Lehrverfassung der Schule.

1. Übersicht über die einzelnen Lehrgegenstände und die für jeden derselben bestimmte Stundenzahl.

	OI.	UI.	OII.	UII1.	UII2.	OIII.	UIII.	IV.	V.	VI.	Sa.
Kath. Religionslehre	2	2	2	2		2	2		2	1	15
Evangel. Religionslehre											4
Deutsch und Geschichtserzählung	3	3	3	3	3	2	2	3	3	1	26
Lateinisch	7	7	7	2 5	5	7	7	7	8	8	70
Griechisch	6	6	6	6	6	6	6				42
Französisch	2	2	2	3	3	3	3	4			22
Englisch (fakult.)	2		2								4
Hebräisch (fakult.)	2		2								4
Geschichte und Erdkunde	3	3	3	2 1		2 1	2 1	2 2	2		24
Rechnen und Mathematik	4	4	4	4	4	3	3	4	4		34
Naturbeschreibung							2	2	2		6
Physik, Elemente der Chemie und Mineralogie	2	2	2	2		2					10
Turnen	3		3		3		3				12
Schreiben									2		2
Zeichnen	2 (fakult.)					2		2			6
Gesang											3

2. Übersicht über die Verteilung der Stunden unter die einzelnen Lehrer.

	OI.	UI.	OII.	UII 1.	UII 2.	OIII.	UIII.	IV.	V.	VI.	Sa.
Prof. Dr. **Niggemeyer**, Direktor.	2 Religion 7 Latein	4 Griechisch			2 Griechisch						15
Nieberg, Professor, Ordin. der OII.			3 Deutsch 7 Latein 4 Griechisch 3 Geschichte				2 Geschichte 1 Erdkunde				20
Dr. **Husmann**, Professor.		4 Mathem. 2 Physik		4 Mathem. 2 Physik	4 Mathem.		3 Mathem. 2 Naturlehre				21
Wesmöller, Oberlehrer, Ordin. der UI.		2 Religion 3 Deutsch 7 Latein 2 Griechisch				2 Religion	2 Religion		2 Religion	1 Religion	21
Schmitz, Oberlehrer.	4 Mathem. 2 Physik		4 Mathem. 2 Physik			3 Mathem. 2 Physik		2 Naturlehre			19*)
Thier, Oberlehrer, Ordin. der OI.	6 Griechisch 2 Französisch	2 Französisch		2 Latein 3 Französisch				4 Französisch			19*)
Förster, Oberlehrer, Ordin. der UIII.	2 Hebräisch		2 Religion 2 Hebräisch	2 Religion			2 Deutsch 7 Latein 6 Griechisch				23
Dr. **Peters**, Oberlehrer, Ordin. der UII1.	3 Deutsch 3 Geschichte			5 Latein 6 Griechisch				2 Geschichte 2 Erdkunde			21
Schmidt, Oberlehrer, Ordin. der IV.	2 Englisch	3 Geschichte	2 Englisch			2 Geschichte 1 Erdkunde	3 Französisch	3 Deutsch 7 Latein			23
Fischer, wissenschaftlicher Hülfslehrer, Ordin. der OIII.			2 Französisch		4 Griechisch 3 Französisch	2 Deutsch 5 Latein 3 Französisch					19*)
Cruse, wissenschaftlicher Hülfslehrer, Ordin. der UII2.				3 Deutsch 2 Geschichte 1 Erdkunde	3 Deutsch 5 Latein	2 Latein			2 Erdkunde 4 Rechnen		22
Heinrichs, Lehrer, Ordin. der V.	2 Zeichnen					2 Zeichnen		4 Mathem. 2 Zeichnen	8 Latein 2 Naturlehre 2 Schönschreiben		22**)
Brüninghaus, Pfarrer, evang. Religionslehrer.											4
Dr. **Lenze**, Kandidat, Ordin. der VI.			2 Griechisch			6 Griechisch			3 Deutsch	1 Deutsch 8 Latein	20

3. Übersicht über die behandelten Unterrichtsgegenstände.

Ober-Prima.

Ordinarius: Thier.

1. Religionslehre. Die Sittenlehre. Zusammenfassende Wiederholungen und Ergänzungen aus den anderen Gebieten. [2 Std. Der Direktor.
2. Deutsch. Übersicht über die deutsche Litteraturgeschichte von Lessing bis Geibel. Lebensbilder der bedeutendsten Dichter dieses Zeitraumes. — Shakespeares Julius Cäsar und Richard II., ausgewählte Stücke aus der Hamburgischen Dramaturgie. — Vorträge. Dispositionsübungen. Deklamation. [3 Std. Peters.

Themata zu den Aufsätzen: 1. Warum durfte wohl Vergil, durften aber nicht die Künstler den Laokoon schreiend darstellen? 2. Die Uneinigkeit ist als der größte Feind des deutschen Volkes aus dessen Geschichte nachzuweisen. 3. Warum beginnt man mit der Völkerwanderung einen neuen Abschnitt in der Weltgeschichte? (Klassenarbeit.) 4. Neid und Nacheiferung. (Ein Vergleich) 5. Heimat und Fremde, weshalb fühlt der Mensch sich von beiden angezogen? 6. Die Verfassung Frankreichs von 1789—1804. (Klassenarbeit.) 7. Non solum ipsa fortuna caeca est, sed eos etiam plerumque efficit caecos, quos complexa est. 8. Im Leben der Völker sind äußere Gefahren oft die Quelle nationaler Erhebung geworden. (Prüfungsaufsatz im Herbsttermine.) 9. Der 18. Januar 1871 — der Schlußstein im Baue der großen Herrscher aus dem Hause Hohenzollern. (Prüfungsaufsatz im Ostertermine).

3. Latein. Tac. Agricola und Germania, Cic. in Verr. IV, Hor. carm. III und IV, Auswahl aus Epoden, Satiren und Episteln. Unvorbereitetes Übersetzen aus Livius. Grammatische Wiederholungen. [7 Std. Der Direktor.
4. Griechisch. Thucyd. I (mit Auswahl), Plat. Krit., Hom. Il. XI—XXIV (mit Auswahl), Soph. Aias. Unvorbereitetes Übersetzen aus Xen. Hellen. Gelegentliche grammatische Wiederholungen. [6 Std. Thier.
5. Französisch. Sarcey, Le siège de Paris (mit Auswahl), Molière, Le Misanthrope (zum Teil). Gelegentliche grammatische Wiederholungen. Sprechübungen im Anschlusse an Gelesenes. [2 Std. Thier.
6. Englisch (fakult.). Grammatische Wiederholungen und Ergänzungen. Lektüre: Scott, Tales of a Grandfather (mit Auswahl), einige Scenen aus Shakespeares King Lear. [2 Std. Schmidt.
7. Hebräisch (fakult). Wiederholungen aus der Formenlehre; die wichtigsten Regeln der Syntax. Übersetzungsübungen aus Genesis, Exodus, Isaias und Psalmen. Schriftliche Analysen. [2 Std. Förster.

8. Geschichte und Erdkunde. Die wichtigsten Begebenheiten der Neuzeit, insbesondere der brandenburgisch-preußischen Geschichte, vom westfälischen Frieden bis zur Gegenwart. Geographische Wiederholungen. [3 Std. Peters.

9. Mathematik. Abschluß der Stereometrie. Binomischer Lehrsatz für ganze positive Exponenten. Der Koordinatenbegriff und einige Grundlehren von den Kegelschnitten. Wiederholungen und Aufgaben aus allen Gebieten. [4 Std. Schmitz.

